

1209 22 1. 69. 1
2168 25

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
JURAMENTO ACTUS
PUBERUM CONFIRMANTE

Bon

Eydlicher Bekräftigung der Unmündigen

QVAM

OCCASIONE AVTH. SACRAM. PUBERUM. C. SI ADVERSVS VENDIT.

DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPЕ AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JVLLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,

ANGARIAE WESTPHALIAEQVE &c.

INDULTU ILLISTRIS JCTORUM ORDINIS

IN ALMA SALANA

PRÆSIDE

VIRO ILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO WILDVOGELIO,

JCTO, SERENISS. DUCIS SAXO ISENAC. CONSILIARIO STATUS INTIMO,

CURIÆ PROV. FACULT. JURID. ET SCABIN. ASSESSORE

GRAVISSIM. ET ANTECESS. FAMIGERATISSIMO,

DN. PATRONO ATQVE FAUTORE ÆTERNUM DEVENERANDO

PRO GRADU DOCTORALI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

FRIDERICUS HENRIC. GRAFF, Lips.

DIE XXI. NOVEMBR. ANNO M D CC IX.

J E N Æ, Typis MULLERIANIS.

DISSESTITIO LURIDICAY MAGISTERIA

JURAMENTO ACTUS
PUBERUM CONTRAHENTE

CONTRACTUS EST ETIAM DE CIVITATE PLEBIS

OCCHIOONE TUTA ZVO IMPERIUM A DICTATORIA
CIVICAM ANNUNTE OMINATE

EX TOTRE MAGISTRATISIMO

EX CIVICO ADOXOMINO

DOMINO

GAIUS HENRICO.

DAE SAGITTARII HABET ELLIPSIS MONS

DAE SAGITTARII HABET ELLIPSIS MONS

INDIVIDUOS SAGITTARII ADOCTORIUS ORDINIS

INDIVIDUOS SAGITTARII ADOCTORIUS ORDINIS

INDIVIDUOS SAGITTARII ADOCTORIUS ORDINIS

DOMINO

CHRISTIANI MEDAGISTRI



H. 11. 1
NOVA CONSTITUTIO
FRIDERICI.

Sacra menta puberum sponte facta
super contractibus rerum suarum,
non retractandis, inviolabiliter cu-
stodiantur. Per vim autem vel
per justum metum extorta etiam
in majoribus (maxime ne queri-
moniam maleficiorum commisso-
rum faciant) nullius esse momenti
jubemus.

PROEMIUM.

Et si id naturalis cuique ratio dicitet,
sermonem homini ob nullam aliam
rem magis datam, quam ut ea, quæ
intra animi nostri scrinia volvimus,
si alter illa à nobis exquirendi jus habeat, libere

A expli-

explicitus, natura insuper pactorum & ratio
societatis, cui illa innituntur, hoc expositulet, ne
fidem fallamus *l. i. n. d. confit. pecun.* multis ta-
men modis fieri solet, ut plerique aliud sentiant,
aliud ore proferant, obligationem quoque o-
mnem ex conventionibus ad utilitatem suam
metiantur, similes Carnadi, cui

Utilitas justi prope mater & aequi.

Huic malo ut obviā iret humanum genus, non
aliud efficacius remedium ad coēcendos dolos
atque fraudes & adstringendam fidem nonnul-
lorum invenire potuit jurisjurandi religione,
qua Deo teste aliquid asserimus aut promittimus,
adeo ut si falsi sumus, ille, qui intima scrutatur, se-
verissimas à nobis pœnas sumat. Scilicet, cum
nemo non, modo rationis usu polleat, id anim-
advertere possit, esse aliquod Ens summum, à
quo origine trahat, conservetur, dependeat:
illud ipsum & ubique esse, adeoque scire & pos-
se cuncta, odiſſe malefacta: jam nemo, nisi pla-
ne impius sit ac perversi ingenii, hanc audaciam
sibi sumet vel contra mentem loqui, vel promis-
sa violare, in quorum validitatem ipsum Deum
ut testem & vindicem provocavit. Factum hinc
est, ut non solummodo inter Christianos, sed &

paga-

paganæ superstitioni addictos, maxima fuerit iurisjurandi auctoritas, de qua re consulendus Grocius *de f. B. & P.* L. 2. c. 13. §. 1. & religiosi Legumlatores, eti juramentum per se vice accessionis fungatur, & naturam actus, cui accedit, sequatur, *l. ult. C. d. non numerata pecun.* Carpz. *Jurisprud. Consistorial.* L. 3. §. 4. def. 55. n. 15. 16. nihilominus negotia, ex quibus in foro civili nulla competiisset actio, modo nihil ipsis inesset turpitudinis, *c. 28. X. d. iurejurando. c. 2. d. pactis in 6to.* ob solam illius adjectionem pro validis & efficacibus agnoverint. Ne ex longinquo exempla petam, sufficiet mihi allegasse famosissimam istam constitutionem Friderici I. Imperatoris Codicis Justinianeo repetitæ prælectionis sub tit. *si adversus venditionem insertam*, quam invalidis contractibus puberum, quibus aut curatoris consensus, aut judicis decretum deerat, plenissimam vim obligandi conciliasse, plerorumque est sententia. Sichardus *n. 17. seqq.* Gailius *L. 2. obs. 41. n. 12.* Bachov. *ad Trentlerum vol. 1. Disp. I. th. 9.*

Lubens fateor, famam hujus legis jam inde à primis initiis, ex quo Jurisprudentia operam dedi, alte infixam menti sedisse, adeo, ut postquam mihi thema aliquod dissertationis in-

A 2 augu-

auguralis diligendum foret, illam cum primis consideratione dignam existimaverim. Etsi vero in ea sedes vulgo queratur universæ materiæ juramentorum contractus confirmantium, verba tamen illius magis sequens, in sola puberum consideratione, quatenus illi jurejurando adjecto ex contractibus suis obligantur, sum substitutus; hoc quidem ordine, ut methodo arbitria electa, post recitata nonnulla selectiora capitula, quæ ad historiam illius spectare videbantur, in ipsam juramenti à puberibus præstari soliti naturam, subjectum deinde, & objectum, effectum denique sibi inquisiturus, quos conatus B.L. æque bonique consulet.

CAP. I.

*HISTORIAM AVTHENTI-
CÆ PERSEQUITUR.*

§. 1.



Xterna hujus Authenticae his potissimum capitibus, nominis nimirum, auctoris, temporis, loci, occasionis & illorum denique, quibus quondam lata fuit, consideratione absolvividetur.

§. 2. Vo-

Vocatur autem NOVA CONSTITUTIO; quæ appellatio solennis etiam est Gratiano monacho, quoties unam ex Authenticis in medium profert; forte quod post Codicem Justinianum demum promulgatae. Meretur enim observari, Constitutiones post insignorem aliquam compilationem factas, id nominis fere omnes fortitas esse. Apud *Isidorum Hispalensem Origin. L. 5. c. 1.* LEGES NOVÆ, & apud auctorem collationis Legum Mosaicarum, qui nonnullis Licinius Rufinus, et si perperam, creditur, Tit. 14. in fin. NOVELLÆ CONSTITUTIONES dicuntur Gregoriano & Ermogeniano posteriores. Metayereseges quoque nominatae, quæ Theodosianum secutæ, quales ipsius Theodosii & Valentiniani III. quas ad calcem suæ editionis adjecit doctissimus Jacobus Gothofredus. Ipsæ Justiniani Constitutiones novellæ ab illis separantur, quæ in tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano occurront. in *Constit. Cordinobis. §. 4.* eodemque nomine celebrantur, quæ post vulgatum Codicem Justinianum secundum prodierunt, Justiniani, Leonis, aliorumque. Magis tamen receptum est, ut AUTHENTICA appelletur, quod nomen

Xp̄o tñs àudierias deductum, uti inde à seculo
post Christum nat. XII. vulgatæ Novellarum, qua
hodie utimur, interpretationi tributum legitur;
haud dubie, quod pressæ magis & x̄actæ πόδαι
insisteret græco textui, quam altera illa Juliani
Antecessoris, ita deinceps ad particulas ipsas ex
eadem decerptas, & Codicis legibus, non qui
dem ab IRNERIO (quod communis Dd. scholæ
figmentum feliciter explodit Johann. Strauchiūs
Irnerii non errantis c. 2. ejusque vestigia legens
Alex. Arnold. Pagenstecherus in Proleg. ad IRNE
RIVM *injuria vapulantem*) sed ab ignota manu
circa decursum Secl. VI. assutas, & demum ob
similitudinem ad constitutiones quoque Frideri
corum in eundem Codicem relatas transferri
ceperit.

§. 3. Auctorem Legis ipsa innuit inscriptio,
FRIDERICVM I. videlicet, five ut eum Odofre
dus apud Alvarottum ad Autb. Caffa. Cod. d. S.S.
Ecclesiæ vocat, *Antiquum*, ad differentiam FRI
DERICI II. Junioris titulo ab eodem insigniti:
Principem & legibus, quas beneficiis suis in sum
mum proiectas gloriatur apud Radevicum L.2.
c.3. & armis inclutum, cuiusque præter hanc no
stram

§ (7)

stram, & quas Longobardicæ leges servant, alias
adhuc XII. in Codice Justinianeo numerat Geor-
gius Haloander.

§. 4. Est nimirum hæc ipsa Constitutio
portio quædam prolixioris Edicti, quod moti-
bus Lombardicæ compositis in secundo conven-
tu in Roncaliis, amoenissimis supra Padum prope
Placentiam campis (de quibus ex veteribus con-
fusendi Otto Frisingensis lib. 2. c. 12. Guntherus
Ligurin. L. 2. c. 12. Urspergens. in Chronic. p. m.
299. Aeneas Sylvius in historia Frid. III. p. 20. ex
recentioribus Fr. Hottomannus de verb. Feudal-
art. Roncalia; Rittershusius in notis ad Ligur. An-
dreas Rivinus de Maicampis & Roncaliis c. 8. §.
2. & Joh. Henr. Boëcklerus in specim. Annotat. ad
Aeneam Sylvium c. 8. p. 132.) de pacis legibus &
de justitia regni, ut loquitur Radevicus L. 1. c. 46.
communi procerum Italiæ consensu publice pro-
positus Princeps optimus. Incidit curia ista ge-
neralis in diem anniversariis B. Martini dicatum
A. 1157. si Sigonium sequimur de regno Italie L.
XII. aut secundum aliorum computum, anni se-
quentis quinquagesimi octavi, quam sententiam
juvat subscriptio Authenticæ. Habita Cod. nefilius
pro patre. Integrum vero edictum extat apud Ra-
devi-

devicum L. 2. c. VII. compilatorem consuetudinum Feudalium, quem Hugolinum, sed minus accurate, facit Joh. Schilt. *Prefat ad Anton. Mincuccium*, quem ejusdem Schilteri industriae debemus, *de Feudis L. VI. t. XXIV.* & *Güntherum Ligurin.* L. 2. nisi quod hic posteriorem saltem nostri textus partem carmine suo expresserit, & Radevicus loco *PUBERUM* dixerit *PUPILLORUM*, itemque pro verbis *JUSTUM METUM* substituerit *INJUSTUM*. De quibus suo loco dispiciendum erit.

§. 5. Occasionem legi præbuisse disceptamen inter Martinum *Gofiam* & *Bulgarum*, utrumque *Irnerii* discipulum & scholæ Bononiensis Doctorem, quorum ille contraetibus invadis per juramentum adjectum validitatem conciliari defendebat, hic negabat strenue, constans veterum & quidem minime improbabilis est traditio, videsis Guidonem Pancirollum *de claris legum interpretibus* L. 2. c. 14. Sichard. *ad b. l. Bachov.* *ad Trentlerum Disp. XI. tb. 9. lit. C.* Certe constat ex Radevico *Lib. 2. c. V.* & Aenea *ibid. Frid. III.* ambos ab Imperatore in conventu illo Roncaliensi ad leges ferendas & dijudicandas lites in consilium adscitos fuisse; constat itidem,

itidem ; Martinum præ Bulgaro fere principis gratia floruisse , ut vero sit simillimum , Imperatorem lege publica Martini sententiam comprebare voluisse .

§. 6. Id taltem controversum esse video ; an ad Italos & Germanos simul pertinuerit illa constitutio ? Hoc sane volunt viri celeberrimi , qui *Authenticas Fridericorum* ex potestate legumlatorum suorum in foris nostris valere assertunt . Lauterbach . *conclus. Forens. Ex. 1. tb. 5.* Schilt . *Exerc. L. 1. ad n. 8. 12.* Sed vereor ne contraria sententia veritati magis sit conveniens , cum & locus legis latæ , & causa , quæ ferendæ ei ansam præbuit , satis innuant , eam ad Italos pertinuisse . conf. Cujac . *ad l. 5. F.* & Bitschium *ad l. 2. T. 53.* ut adeo dicendum sit , eandem Germanos non aliter obligare ac reliquum *jus Iustinianum* , hoc est , ex libera receptione .

B Cap.

C A P. II.

*DE NATURA ET CONSTI
TUTIONE JURAMENTI
CONTRACTUS PUBERUM CON.
FIRMANTIS DISSEMIT.*

§. 1.

Præmisitis hisce ad rem ipsam accedendum, & natura juramenti, de quo agimus, expendenda est; in qua re sufficit Authenticæ nostræ hæc verba posuisse: *Sacra menta puberum, sponte facta*; ubi nobis enodanda sunt, quæ lex tanquam nota præsupponit. Ulti vero id apud plerosque in confessio est, substantiam juramentorum in genere consistere in invocatione Dei, quem quisque pro vero agnoscit, ut ille & testis & vindex sit, si vel falsum asseratur, vel promissis suis quis non steterit. *vid. l. 3. §. ult. & l. 33. π. d. jurejurando. c. 4. X. de jurejurando. Grot. d. J. B. & P. L. 2. c. 13. §. X. Franzk. ad π. tit. de jurejurando n. 12.* ita ex eo jam sua sponte fluit, jusjurandum hoc, tanquam speciem sub genere suo comprehensam, definiendum esse per Invocatio-

cationem Numinis tanquam testis & vindicis à pubere contractui à se celebrato , ejusdem confirmandi gratia , adiectam .

§. 2. Dum autem divini numinis invocationem ad formam juramenti hujus requirimus , excludimus illas formulæ , quæ loco illius rem creatam exprimunt , quales sunt , per genium & salutem Principis L. 7. §. fin. l. 4. & l. 33. n. d. jurando . per majestatem Imperatoris , cuius formulæ ex Vegetio meminit Grotius l. all. §. II . aut per parentes , cœlum , terram , universum , quod olim in more positum Judæis fuit ; VVesenbec. ad n. d. jurejur. n. 6. Et si enim illi , qui ejusmodi juramenta præstant , ipsum Deum invocare videantur , ut illud , quod charissimum cuique est , noxiū sibi reddat , quo sensu forte verba illa Ulpiani accipienda sunt , eum qui per salutem suam jurat , Deum jurare videri , cum respectu divini numinis juret . l. 33. n. d. jurejur. Formula tamen ipsa , quo magis à mentione divini numinis deflectit , eo propius à superstitione abesse creditur .

§. 3. Id magis controversum esse video , an per Evangelium , aut sanctum Dei verbum jure liceat , quatenus illud non de verbo personæ

quæ λόγος καὶ θεος, sed de litera intelligi-
tur. c. II. caus. 22. qu. 1. Certe peccatum id
involvere visum VVesenbeccio ad tit. π. de Ju-
ramentis n. 6. Setser. de Juramentis L. 1. c. 15.
Nescio tamen, annon eidem recte contradic-
tum fuerit à doctissimo Frantzio n. 15. cum &
literæ divinæ insit vis salvifica; & per eandem
Deus operetur; ut adeo formula illa solennis,
so wahr mir Gott helfe und sein Heiliges
Wort / non incongrue ad hunc sensum trahar-
tur, ut & altera illa, **bey dem Worte der**
ewigen Wahrheit / quæ adhuc in foris vim
veri juramenti obtinet, et si in quibusdam nego-
tiis, ubi solenne & conceptis verbis jusjurandum
(ein gelehrter oder zierlicher End) re-
quiritur, eandem non exerat. vid. Docif. El. 25.
ad eandemque Philippi obseru. 2. n. 16 segg. Carpz.
P. 2. 36. def. 10. n. 13. Videtur isti difficultati ob-
viā itum per formulam in ordinatione Came-
rae Imperialis d. A. 1555. P. 1. t. 57. introductam,
quam amplexi deinceps Augustanæ Confessioni
addicti in Comitiis d. Ao. 1555. vid. Recess. Imper.
c. a. §. Und dann dieweil beiderseits ic, quæ

videtur obdy so non belli amicitia p. 155 ver-

verbis: zu Gott und auf das heilige Evangelium / concepta est: quippe qua utens, non tam per Evangelium jurare, quam illud manu aut digitis tangere existimatur, quod jure civili etiam sub Christianis Imperatoribus fieri consuevit. l. 12. C. d. Judicis. l. 20. C. d. Episcop. audient. Nov. 74. c. 5. Nov. 112. c. 2.

§. 4. Hoc certe extra dubium positum existimo, formulam illam: an Endesstatt/qua normam juratur, quam jurandi necesitas declinatur, Magnif. Dn. Mencken. in *Synopt.* n. tractat. Tit. de Jurament. nec non illa: bey Fürstl. Gräflichen oder redlichen Ehren / bey Treu und Glauben und wahren Worten/ & quae aliæ sunt, nec vera juramenta esse, adeoque nec in nostro casu valide adhiberi, nec illis effectum legitimum tribui debere. Id. loc. alleg. Frantz. n. 25. Illustr. Stryck. d. Caut. Contractuum Sezt. 1. c. 5. §. 17. nisi aut lege publica aliud introductum, quo trahunt R. I. d. A. 1555. §. 88. Schilter. Exercit. 23. ad P. o. 24. aut consuetudo tale quid invexerit, qualem in Germania nostra inter illustres personas obtinere, testantur Mynsingerus L. 2. observ. 17. Gail. L. 2. observ. 59. Carpz. l. all. def. 9. n. 7. 8.

§. 5. Consulto autem in præcedentibus ad-

monui, in jurejurando illud numen in vocandum esse, quod quisque pro vero agnoscit, id quod finis juramentorum omnino exigit. Facile enim quis pejeraturus esset per eum, quem pro idolo habet, ut prudenter admodum rescriplerit *divus prius: jurejurando, quod propria superstitione juratum sit, standum esse.* l. 5. §. 1. d. *jurejur.* Sic Turcus jurabit per Mahometen suum, nisi formula ad conceptum aliquem, qui huic cum Christiano de Deo communis est, queat reduci, qualis est, quæ Judæis injungitur *Land Recht.* L. 3. art. 7. *des dich A. schuldiget/ des bistu unschuldig/ daß dir GOTT so helfe/ der GOTT der Himmel und Erden geschafft/Laub/Blumen und Gras u. c.* quam ex codice Vindobonensi, cum in vulgatis non extet, produxit diligentissimus Schilterus. *Ex. alleg. b. 22.* confer. Frantzk. n. 14. quanquam, si circumstantia id non patientur, nulla causa subsit, ob quam abstinere debeamus à re, quæ sanctissimorum virorum exemplis approbata est. *vid. Genes. c. 31. v. 53.* neque dubitari debet, tale juramentum prorsus ejusdem efficaciam esse cum eo; quod per verum Deum præstatum fuit. Eleganter Grotius *Lib. 2. c. 13. §. 12.*

§. 6. At-

Atque hæc quidem ad formam substantialem, uti omnis juramenti, sic quoque confirmatorii, quod à pubere præstatur, pertinent: reliqua quæ adjici solent, accidentium numero sunt, quæ & adesse & abesse possunt. Sic nec verborum ore prolatorum solennitas exigitur, nisi lex speciatim id exigat. Fachineus L. 3. Controvers. 8. Zanger. de Except. P. 3. c. II. n. 192. nec erexitio digitorum, nec appositiō ad pectus, et si has & alias solennitates, tanquam maiorem attentionem & reverentiam animo excitantes, non absque fructu in judiciis adhiberi videamus. Philippi ad Decif. 25. obf. 2. n. 4. seqq. Frantzk. n. 17. §. 18.

§. 7. Unicum saltem monendum superest, sacramenta sc. puberum debere esse sponte facta, quo ipso omnis coactio, metus injectio & dolus exulare jubentur. Præterquam enim, quod in pacis & contractibus, quorum accessorium est juramentum, arg. l. 7. §. 16. n. d. Pacis. æqualitas esse debet inter utrumque paciscentem, tam quoad intellectum, quam voluntatem, quo sensu à Pace derivat pacta Iustitia, & per duorum plurimum in idem Placitum consensum, h. e. quod utriq; parti placet, definit. l. 1. §. 1. 2. n. cod. ita specialis

pro

pro pubere militat ratio, quod ad jurandum invitum cogi non possit l.34. §. 2. π. d. jurejur. c.14. 15. & 16. caus. 22. q. 1.

CAP. III.

DE PUBERIBUS JURAMENTUM CONFIRMATORIUM PRÆSTANTIBUS TRACTAT.

§. 1.

HAec de natura & constitutione iuramenti confirmatorii. Subjectum sive personæ à quibus præstatur, PUBLI-
RUM appellatione in lege nostra indigitantur, loco quorum PUPILLO-
RUM nomen, quod in antecedentibus jam mo-
nui, substituit Radevicus Lib. 2. c. VII. non incongrue, ut sequentia ostendent.

§. 2. In puberum ætate duo spectari debent, initium & finis. Etsi vero natura non eandem in omnibus rationem observarit, & semper unus citius pubescat quam alter ; jus tamen ci-
vile, postquam singulis hominum ætatibus cer-
tos juris effectus tribuere voluit, intra incertitu-
dinem illam non substitut, sed argumentum du-
cendo

cendo de eo, quod plerumque fit, non tam ex corporis habitu aut generandi facultate, quod Cassiani quondam facere solebant, & post illos Pontifex *in c. 3. X. d. desponsat. Impuberum & L.R.* *L. i. art. 42.* sed ex annorum numero initia pubertatis maluit disjedicari. Constitutum inde est, ut masculi post quartum decimum, fœminæ post duodecimum completum puberes existimarentur pr. *Inst. quibus mod. tutela finiatur. l. 2. ff. d. Vulgar. & Pipill. Substit. l. fin. C. quando Tutores l. Curatores esse desin.* & illa pubertas ad vigesimum quintum aetatis annum produceretur, tempore de momento in momentum computato *l. 3. §. 3. ff. d. minor. 25. annor.* aut Saxonum moribus usque ad vigesimum primum consummatum, *L.R. L.I. art. 42. Carpz. P. 2. c. 11. d. 9.* Hactenus enim in libero legislatoris arbitrio est positum, quos hic velit terminos statuere, prout in quibusdam Italiae partibus id receptum testantur *Pimoncellus & Cavalcanus*, in quibus plena & perfecta aetas, vid. *l. 6. n. d. honor. & mun.* post decimum octavum exactum incipit, quale quid in Electoribus observatur, Knichen. *d. Saxon.* non provocand. *jur. c. 5.* quanquam pro his peculiaris utilitatis publicæ ratio militet. Id certum

C est,

est, debere hac in re legislatorem ad indolem suæ gentis respicere, adeo, ut si deprehendat, citius eandem ad maturitatem perduci, quam aliorum populorum, arctiores quoque eidem limites præfigat, cum omnis illa statutum differentia ob judicii imbecillitatem, quæ teneriores annos comitari creditur *l. un. C. d. fals. moneta. l. 9. π. d.*
Aqu. vel omitt. heredit. introducta sit. arg. §. 1. & 2. J. d. tutelis.

§. 3. Ex his vero sequi videtur, Fridericianæ constitutioni tantummodo de minoribus, mediis inter impuberis & majorennis, sermonem esse, quod uti concesserim de infantibus, qui nondum septimum annum excesserunt, *l. 14. π. d. sponsal.* *l. 18. pr. & §. 4. C. d. Jure deliber.* & à furiosis non multum differre dicuntur. §. 9. *J. d. Inutilib.* *Stipulat. l. 1. §. 13. ff. d. O. & A.* infantiae itidem proximis, qui prioribus illis equiparantur *l. 3. ff. rem pupill. salv. fore,* ita de pubertati proximis admittendum non est. Tholofanus in *Syntagm. Jur. Univ. l. 5. c. 7. n. 4.* Neque tamen cum Tholofano, aut Sichardo aliisque masculum præcise dixerim pubertati proximum, si decimum cum dimidio, foeminam, si nonum cum dimidio excederunt, cum totam hanc questionem rectius

pru-

prudentis judicis arbitrio relinquendam existimem, ne præcocioribus ingeniis malitia lucro cedat, tardioribus iniqui quid imputetur. Carpz. *Pr. Crim. qu. 82. n. 6.* & *qu. 143. n. 32.* et si ad delicta hæc saltem restringat Illustr. Stryck. de *Cau-tel. contr. Sect. 1. cap. 2. §. 14.* Quicquid fuerit, apparet certe ex his, *Radevicum non injuria Pupillo-rum* appellationem huic legi inseruisse.

§. 4. Exigui momenti sunt, quæ à non-nullis hic in contrarium moventur; Impuberis idcirco hic excludi debere, quod & in judiciis comparandi facultate destituantur. *l. 1. 2. C. qui legitim. person. standi habeant in judicio.* & absq; tutoris interveniente auctoritate obligari non possint, ne quidem naturaliter, *l. 59. n. d. O.* & *A.* Prius enim, cum eodem jure in minores, de quibus tamen nulla dubitatio est, retorqueri possit, nem non objectionis vanitatem deprehendit. Neque nexus ineft majori propositioni, cum à judicialibus ad ea, quæ extra locum judicii peraguntur, nulla sit argumentatio. Posteriorus ea-tenus saltem procedit, quatenus obligationi naturali lex civilis potestatem efficaciter agendi de-negat. Dn. Stryck. *l. cit.* quod de juramentis dici nequit, quæ ex pupillo & minorenni majoren-

nem faciunt, ut loquuntur interpres, Frantzkius ad π. d. jurejur. n. 42. Gail. L. 2. obs. 41. n. 12. & Obs. 65. n. 6. 7. quam fictionem si supposueris, cum ineptum sit majoribus tutorem ad jungere velle, jam ipsa quoque necessitas auctoritate tutoris utendi cessabit.

§. 5. Id disceptatione non eget, pupillum seu minorenem ita debere esse comparatum, ut intelligat, quid agat, atque adeo excludi hic furiosos & dementes. l. 40. π. d. R. f. nec non prodigos, Fachineus L. 2. controv. s. c. 64. qui ne naturaliter quidem obligantur, Ant. Faber in Rational. ad L. 18. π. qui testam. fac. possunt. quorunque juramenta dolo extorta censentur, Setser. L. 1. c. 5. n. 12. nisi praestita sint, antequam bonis iisdem interdiceretur, a. l. 18. ff. qui testam. facere possunt, it. summe ebrios c. 14. X. d. vita & honest. Cleric. aliosque, quorum ex allatis fundamentis facilis est disjudicatio.

CAP.

CAP. IV.

ACTUS, CIRCA QUOS PUBERUM JURAMENTA VERSANTUR, ENUCLEAT.

§. I.

A personis jurantibus justo ordine ad actus ipsos juramento confirmari solitos devolvimur , quos voce contractum , addita restrictione rerum suarum , effert Fridericiana Constitutio . Ubi nosse omnium primo oportet , contritus vocabulum non in strictiori significatu hic sumi , quatenus de conventionibus nomen juris vel causam habentibus prædicatur l. 7. §. 4. ff. d. *Pactis c. 2. d. Pactis in 6to* , sed de quacunque conventione , adeoque etiam paetis nudis , itemque iis , quae in numerum legitimorum relata sunt , neque solummodo συναλλάγματα sed & diaλ-λάγματα , distractus , §. 1. f. quibus mod. re contrab. obligatio indigitare , sic ut *Actus* appellacioni sere æquipolleant . l. 19. π. d. V. S. conf. Sichard. ad Autb. b. VVesenbec. P. 1. conf. 23. n. 27.

§. 2. Quinam vero sint actus illi, quibus

C 3 jura-

juramenti adjectio validitatem conciliat , de eo maxima inter juris interpretes est controversia . Atque quod ad contractus per se validos spectat , de illis ne quidem dicere attinet , cum juramento non indigeant , etsi nonnunquam iisdem majoris confirmationis ergo soleat adjici . I.

1. Cod. si advers. Vendit. De invalidis autem res non adeo expedita est , & fatendum sane , incertitudini potissimum ansam præbuuisse disputationes nimias Doctorum , qui , dum circa quæstiones singulares magis , quam principia ipsa , ex quibus illæ deduci debebant , solliciti fuerunt , non potuerunt non in diversas sententias abire .

§. 3. Mibi duo hic supponenda videntur , in quibus omnes , nisi fallor , convenient ; quorum primum est , juramentum ex pubere facere maiorem . vid. Dd. ad cap. II. §. 4. alleg. alterum , quod ex c. 28. X. d. jurejurand. fluit , juramentum omne servandum esse , quod in alterius præjudicium non redundat , & observatum non vergit in dispendium salutis æternæ : quæ duo si conjungantur , jam non amplius obscurum erit , quæ species actuum invalidorum confirmari possint , aut minus , jurejurando adhibito .

§. 4. Nimirum cum invalidorum actuum
duo

duo velut summa genera sint, unum illorum, qui
vel cum honestate, c. 58. d. R. I. in 6to. vel utili-
tate publica pugnant, l. 7. C. d. Agr. & censit.
aut prorsus in potestate non sunt jurantium , c.
12. X. d. Foro Compet. alterum illorum , quos
vel ob defectum in persona , vel qualitatem ob-
jecti , vid. c. 2. d. pact. in 6to. lex infirmat: de pri-
oribus , cum juramentum sit species religionis , l.
2. C. d. Reb. Cred. & adeo abhorreat ab omnibus
illis , quæ vel cum bonis moribus vel officio bo-
ni civis pugnant , confer. L. 27. §. 7. d. pactis , li-
bere pronunciandum , iisdem juramentum adje-
ctum nullam validitatem conciliare : de posterio-
ris commatis autem actibus afferendum est , mi-
tigari juris civilis rigorem in l. 5. C. d. LL. atque
per juramentum , si cum tertii dispendio non sint
conjuncti , confirmari , & plane eandem po-
testatem concedi puberi , quæ majori competit.
Caute tamen & hic procedendum erit , adeo ut si
per indirectum saltem Rempublicam lædi posse
contingat , quale quid in dote accidit , quam
conservari mulieribus publice interest. l. 1. ff. so-
lut. matrim. juramento is effectus tribui non de-
beat.

§. 5. Sunt tamen nonnulli , & in iis magnus
Cuja-

Cujacius *ad l. 27. §. 4. ff. d. Pactis.* qui iuramentis plane omnem effectum circa invalidos actus denegant, huic potissimum innixi fundamento, quod leges & canones juramenta quidem observanda moneant, nullibi tamen contractus iuramento firmari afferant: quæ miror certe tantis viris excidisse, cum vel solum *c. 2. d. pactis in 6to.* eam sententiam infringere queat, ut omittam, quæ *Setserus* hanc in rem attulit *L. 2. c. 3. n. 4.* quo lectorem remitto. Contrarium quoque evincit luculenter hæc Fridericana Constitutio, contra quam parum facit, quod nonnullis in locis Galliæ & Italîæ sit abrogata, Mornacius *ad Auth.* cum tale quid de Germania nostra doceri nequeat, utpote in qua cum ipso Justinianeo jure recepta, adeoq; vigore creditur, donec ejecta è foris nostris doceatur. *a. l. 27. C. d. Testament.*

§. 6. Possemus jam per singulas actuum species ire, si opus foret; sed delibabimus paucula saltem ex tam divite penu. Sic in mutui contractu non dubium est, usuras juramento promissas deberi, etiam jure canonico, cum reddendum sit domino juramentum, licet ad eorum restitutionem credidores ecclesiastica severitate cogantur, *c. 6. X. d. jurejurand.* quod jure ci-
vili,

vili, Imperii & Saxonico secus est, quibus pacta
de Usuris, modo legibus definitam quantitatem
haud excedant, pro licitis omnino habentur. 26.
§. trajectitiis C. d. Usuris R. I. d. Anno 1530. &
1548. tit. von Wucherlichen Contracten. Ord.
Prov. Elec^t. Maurit. de A. 1550. tit. von Wucher &
Ord. Torgav. d. Ao. 1583. tit. von Wucher und
wucherlichen Contracten. P. z. Conf. 30. Carpz.
Prax. Crim. qu. 92. quod enim ulterius præsta-
tur, usuriam pravitatem redolere creditur. E
contrario in pignoratio contractu legem com-
missoriam, olim fiduciam dictam, qua conve-
nit, ut stato die debito non soluto pignus pro
quantitate debita pleno jure creditori adquiratur,
Mæstertiis de L. commissoria qu. 2. n. 1. non ju-
vabit juramentum, cum ad coercendas credito-
rum malitias sit vetita, & ne debitores inique
sua vendere cogantur l. fin. C. d. Pactis pign. c. per-
nult. X. de Pignor. conf. text. 1. Feud. 27. Bachov.
de Pignor. L. 1. c. 16. n. 1. 2. etiam si ex post facto
accesserit pignori, nil quicquam obstante l. 34.
ff. d. Pignorat. Actione. vid. Ant. Fabrum in Ra-
tional. ad b. l. ubi Bartoli errorem solide confu-
cat. Similiter nullius erit momenti jurata re-
nuntiatio facta SC. Macedonio à filios familias;

D

cum

etum circa rem illicitam verletur, & in Patri^s, in cuius favorem primario introductum est, l. i. ff. de Sct. Maced. familiæ & Republicæ, foederali tores odio prosequentis præjudicium tendat. a. h. r. C. d. Usufructu §. 7. f. quod cum eo qui in alien. c. 28. X. d. jurejurando. conf. Magist. Dn. Menckenius in Synopt. Pandect. tractat. Tit. de Scto Macedonianop. 216.

§. 7. Neque tamen dubitaverim, posse debitorem puberem beneficio bonorum cessio- nis jurato renunciare, cum illud unice in favo rem ære alieno gravatorum, ne in carcerem de trahantur, sit constitutum l. r. C. qui bonis cede re possunt. l. 29. C. d. Pacis quod jure Saxonico Electorali extra controversiam positum est, ad eo, ut fugitiuum liceat persequi creditori, modo deprehensum judici in illo loco jurisdictionem exercenti (in die Gerichte wortinnen er an getroffen) tradat. Quinimo idem ad facti nas extensum, si de jure suo admonitæ nihil minus ad Arrestum personale carceresque se ob strinxerint, modo ipsæ debitum contraxerint, aut si pro marito aliisque intervenerint fideju bendo, Senatus-Consulto Vellejanor juxta for man legibus præscriptam renunciaverint. P. 2.

Conf.

Conf. 21. ibique Carpzov. in definit. Ita nihil deprehendo vel legibus vel bonis moribus contrarium, si pubes matrimonio illigatus, jurato novellæ sponsæ vel uxori, quæ alias ipsum sequi tenebatur, *L. 13. C. de dignitat.* promiserit, se certo loco mansurum, nec alio domicilium translatum. *VVurmserus in Pract. observ. tit. 56.* Setserus de jurament. *L. 2. c. 10. n. 11.* Neque argumentum hic contrarium quis deducat ab Obstatiiis, legibus Imperii & provincialibus vetitis, cum in his longe alia sit ratio, & in his Reipublicæ oratione salutis periclitari videatur, cuius interest curam adhiberi, ne quis re sua male utatur. *§. 2. J. de his, qui sui vel alieni juris & Landes-Ordnung de A. 1580. tit. 13.* *§. Nachdem auch auf denen Drffern ic.*

§. 8. Non absque ratione demum contristibus puberum hanc adjicit restrictionem Authentica his verbis: RERUM SUARUM, ex quibus illorum sententia erroris haud difficulter convinci potest, qui existimant, hominem liberum corpus & vitam suam ita posse pro alio obligare, ut pro reo poenam subeat & judicii in corpus ipsius liceat savire. conf. Setserum *Lib. 2. c. 8.* Cetero enim cum nemo membrorum suorum sit

D 2 domi-

dominus, ut prudenter monet I Ctus in l. 13. pr.
ff. ad Leg. Aquil. j. l. 4. ff. d. custod. & exhibit. reor.
nemo non videt juramentum puberis invalidæ
eiusmodi pactioni adjectum nil quicquam ope-
rari posse.

CAP. V. *EFFECTUS EX PUBERUM JURAMENTIS PROFLUEN- TES CONTEMPLATUR.*

§. 1.

Effectus, qui actus pūberum juramento firmatos sequitur, est validitas ipsa ex qua alteri jus agendi acquiritur, quod innuit hæc Authentica, dum INVOLABILITER illos CUSTODIRI debere admonet. Cum tamen hic ipse effectus tales presupponat actus, quales esse debere dixi Cap. anteced. §. 4. non turpes, non utilitati publicæ contrarios, aut per vim metumque extortos, hinc interpretum nonnulli, ex illis effectum positivum, ex his negativum oriri inquietant. §. 2. Effectus positivus cumprimis se exercit in actionibus, quibus illi, qui cum pubere juante contraxerunt, id persequuntur, quod ipsi debe-

(29)

debetur. *pr. Inst. de Actionibus.* Cum vero Ju-
ramentum ipsum accessoria saltem sit qualitas
contractuum , singulæ actiones id nomen for-
tiuntur, quod contractus species ipsis imponit.
Neque mihi dubium est, contractu ipso per ju-
ramentum convalidato , cum ex eo alias & ad
heredes & contra heredes sive specialis illorum
facta sit mentio , sive minus , transmittatur actio
L. 13. C. d. contrabend. & committ. stipulat. actio-
nes quoque & contra heredes puberum dari , &
heredibus stipulantis competere. Setser. *L. 2. c.*
19. n. 1.

§. 3. Id discussionem meretur, an si pubes
ultra dimidium ex contractu juramento confir-
mato læsus inveniatur , remedio *L. 2. C. d. Rescin-*
denda Vendit. uti possit? quæ in utramque par-
tem quæstio disputari solet. Mihi duo separan-
da videntur, an scilicet pubes, qui enormiter læ-
sum se conqueritur , in specie illi beneficio re-
nunciaverit jurato , an minus. Si hoc factum, non
dubito affirmantium sententiæ accedere , cum
juramentum contractui ipsi adjectum ex pube-
re solummodo majorenem faciat, illud vero re-
medium majorenibus etiam indultum sit ; Prior
in casu, nego illum eo frui debere , simodo suppo-

D 3 nas,

M I M I

maiores nem, qualis jam factus esse juramenti praestatione existimatur pubes, eidem renunciare posse, quod ut plerique interpretum, modo doltus non intervenierit, admittunt, *Setsler. L. 1. c. 11. n. 15.* ita jure Saxonico electorali per *P. 2. C. 35. §. 50* haben doch r. dubio carere videtur.

§. 4. Sed an relaxatio juramenti puberibus indulgenda sit? ardua quaestio est. Ad apulor neganti Bachovio *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 21. tb. 2. lit. B.* ne scilicet verbis, non rebus lata lex credi posit. Brunn. *ad b. Autb.* nisi singulores plane circumstantiae concurrant, quo in casu tamen utiliter cautum est Jure Saxonico Electorali, ut ante *Collegia Juridica*, quo usque illa relaxandi potestas extendi queat, dignoscant, & eorundem demum cognitionem summi Imperantis decisio insequatur. *P. 3. const. 36.*

§. 5. Sacramentorum vi metuque extortorum effectus privativus est nullitas actus, ex dispositione Fridericianae constitutionis, quae per **JUSTUM METUM extortannius esse momentij jubet;** ubi INJUSTUM substituit Radericus. Res eodem recidit. Si **Justum metum** retinemus, intuitu illius, cui infertur, erit intelligendus, talis nimirum qui in constantissimum hominem cadit. *b. 6. 6.*
7. n. quod metus causa, quo ipso reverentialis excluditur; Si **injustum**, referendum erit ad inferentem. Certum autem est hoc in casu ne relaxionem quidem petere necesse habere puberem, cum illa validitatem actus presupponat, et si jure Canonico illa omnino opus habere eundem existiment a. c. auctoritatem. *2. caus. 15. q. 6.*

§. 6. Hucusque illa, quae ad interpretationem celebrimur illius Fridericianae Constitutionis duxi necessaria. Plura longe afferri potuisse non nego; ut afferrentur tamē, haud licuit breviori esse volenti. Sufficit mihi prima fundamenta ostendisse, ex quibus reliqua deducere facile est. Tu saltem, *B. L.* hac pauca favore tuo complectere.

F I N I S.


ULB Halle
003 331 911


3



S.6.

✓778





1809 295 469.7
 2168
 25
 DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS
 DE
JURAMENTO ACTUS
PUBERUM CONFIRMANTE
 Von
Eydlicher Bekräftigung der Unmündigen
 QVAM
 OCCASIONE AVTH. SACRAM. PUBERUM. C. SI ADVERSVS VENDIT.
 DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO
 DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
 DVCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
 ANGARIAE WESTPHALIAEQUE &c.
 INDULTU ILLISTRIS JCTORUM ORDINIS
 IN ALMA SALANA
 PRÆSIDE
 VIRO ILLISTRATISSIMO
 DOMINO
CHRISTIANOWILDVOGELIO,
 JCTO, SERENISS. DUCIS SAXO-ISENAC. CONSILIARIO STATUS IN-
 TIMO, CURIÆ PROV. FACULT. JURID. ET SCABIN. ASSESSORE
 GRAVISSIM. ET ANTECESS. FAMIGERATISSIMO,
 DN. PATRONO ATQVE FAUTORE ETERNUM DEVENERANDO
 PRO GRADU DOCTORALI
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
FRIDERICUS HENRIC. GRAFF, Lipf.
 DIE XXI. NOVEMBR. ANNO M D CC IX.
 ——————
 JENÆ, Typis MULLERIANIS.

